



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Consolatio in scripturis diuinis. 9

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

6. *Non est omnium vacare.*

Confidera gratiam tibi deſuper datam, & viuere ſecundum eam curato, quoniam non omnibus ſic vacat ſolatiari cum Chriſto, quemadmodum oblatum eſt tibi aptum & ſufficiens tempus præ cæteris. Tantum aſſit ſpiritus Ieſu, qui docet & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cùm enim adeſt ſpiritus eius, non habes requirere præſentiam alicuius hominis, vt conſoleris. Quando autem abeſt, exſpecta eum, quoniam veniet, & non tardabit. Ioan. 1.

7. *Contemptus conſolationum extranearum.*

Auere tamen oportet, vt de foris ſuperflua ſolatia non petantur: ſed vel interim ſilentio & luctui inſiſtere, aut cùm amico de negligentia & anguſtia ſua conferre. Et iſta hominis conſolatio, ſatis vtilis & neceſſaria tempore ſuo, quia non omnium eſt dicere cum Apoſtolo: Quia non ab homine, neque per hominem didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Qui humano ſolatio non eget, multum ſuper hoc regratiari Deo poteſt. Galat. 1.

8. *Conſolatio infirmorum.*

ET qui adhuc carere non poteſt, quid niſi Deum in ſeruis ſuis humiliter audire debet: & non ſicut ab homine, ſed tanquam ab ore Dei prolatum ſit, conſolationis verbum ſuſcipere? Qui etiam per ſcripturas nobis adhuc tanquam paruulis loquitur, habeamus tamen aliquid, vnde conſolemur.

9. *Conſolatio in ſcripturis diuinis.*

Eſt enim non parua conſolatio, qui nullam exteriorem habet, quod delectatur in ſcripturis diuinis. Et cùm legit Euangeliũ aut Prophetas, nonne videtur quodammodo colloquium celebrare cum Ieſu & Apoſtoliſ eius, nec cum prophetis antiquis? Et cùm cæteros libros doctorum auidiſſimè legit, quid niſi ex bona eorum ſocietate, à ſe omne mentis faſtidium repellit? An non ſapiffime, cùm Auguſtinum vel Gregorium legis, tanquam præſentes eos intueris? Aut minori affectu eorum dicta complecteris, quia in carne non ſunt; quàm ſi viuerent, & ad te ſua ſcripta direxiſſent?

10. *Spiritualis dilectio ad Sanctos.*

Poſſet fortè magis aliquid conferre tibi veneranda ipſorum præſentia: ſed ſpiritualis homo hanc affectionem facilè ſupergrreditur, cui in Deo omnes viuunt & præſentes ſunt; qui &